

VENERABILIS

BEDAE PRESBYTERI,
SVPER PARABOLAS
SALOMONIS LIB. I.

CAP. I.

ARABOLAE Salomonis filii David, Regis Israel.) Parabolae graece, latine dicuntur Similitudines. Quod huic libro vocabulum Salomon ob id imposuit, ut sciremus

altius, & non iuxta literam intelligere, quae dicit. In quo dominum significat per parabolas turbis aliquando locutum. Sicut etiam proprio nomine, & pacifico regni sui statu, regnum Christi & ecclesiae perenne denunciat: de quo scriptum est, Multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis: super folium David, & super regnum eius. Sic & templi constructione ac dedicatione, aedificationem ecclesiae sanctae, quae tempore resurrectionis in aeternum dedicabitur, insinuat. Nam & ipse filius esse David, & rex spiritalis Israel, etiam turbarum testimonio, quae ei Hierosolymam venienti, cum palmarum ramis & laudibus occurrere, declaratur. Notandum autem, quod vulgata editio pro Parabolis, quae Hebraice Misse vocantur, parœmiās, id est, prouerbia dicit. Sed nec ipsum nomen abhorret à vero. Quae enim parabolae recte nuncupantur, quia occulta sunt, possunt non incongrue etiam prouerbia vocari: quia talia sunt, quae merito saepius in ore colloquentium versari, ac memoria debeant retineri. Nam & prouerbia plerumque tam obscure dicuntur, ut non immerito eadem possint etiam parabolarum nomine notari: domino attestante, qui ait, Hae in prouerbiis locutus sum vobis: Venit hora cum iam non in prouerbiis loquar vobis, sed palam de patre annuntiabo vobis. Quid autem vtilitatis parabolae Salomonis conferant, sub incremento tituli monstratur: cum subditur,

Ad sciendam sapientiam & disciplinam.) Sapientiam autem & disciplinam scire, est quo modo recte credere, qualiter se vivere oporteat quaeque veraciter didicisse, quod intentionem cordis dirigere, & quid operando gerere conueniat nosse. Quod autem adiungit,

Ad intelligenda verba prudentiae, &

fusciendam eruditionem doctrinae.) Monet eos quos imbut, ut non solum sapientiam, quam semel ipsi perceperint, amplecti: & disciplinae virtutem, quam cognouerint, sciant inseruire: sed etiam verba prudentium, quibus ad perfectionem proficiant, libenter auscultare: & haec solerter intelligere curent.

Iustitiam, & iudicium, & aequitatem.) Iustitia est in eis quae secundum regulam veritatis bene operamur. Iudicium, in illis quae recta discretione cum proximis agimus: Aequitas in eo, quod cum sincera intentione deo soli, in his quae recte gerimus vel iudicamus, placere contendimus.

Ut detur paruulis astutia, & adolescenti scientia & intellectus.) Paruulos dicit eos qui nuper sapientiae aurem accommodare coeperunt: adolescentem, qui aliquantum iam in eius auditione proficit. Et ideo fortasse paruulos plurali numero, Adolescentem appellat singulari: quia doctrina sapientiae, quos diuersis animi motibus, diuersis viuendi moribus deditos suscipit, in viam virtutis perfectionem erudiendo prouehit. De quibus iure dicitur, Multitudinis creditum erat cor vnū, & anima vna.

Ut detur, inquit, paruulis astutia. Haec etenim rudibus est & incipientibus necessaria: per quam sophismatum dignoscere & cauere versutiam possint, ne falsorum fraudibus argumentorum abducantur à simplicitate verae sapientiae, quae ducit ad vitam. Adolescenti scientia & intellectus, quia qui prudenter declinat falsa, consequenter seita veritatis percipiet. Haec tenus pratitulatio: hinc iam ipse textus parabolarum incipit.

Audiens sapiens, sapiens erit.) Quia sapientiae amator extitit Salomō, qui optio ne sibi data, sapientiam petiit & accepit, pulchre initium parabolarum suarum à sapientia sumit. Quod autem ait, Sapiens cum audierit verbum, sapienter efficit, ostendit neminem in hac vita ita sapienter fieri posse, cuius sapientia nequeat augeri: semperque moris esse sapientiam, ut dictis maiorum, & aliquando etiam minorum, auscultent: & quicquid in eis vtilitatis audierint, ad se replicent, suoque in corde recondant. Denique audiuit sapiens minor 3. Re. 18. maiorem, regina Saba Salomonē: & sapientior rediit. Audiuit Moyses focerum multo inferiorē, & sublimior ac sapientior reditus est. Audiunt discipuli Christum, & spiritum sapientiae percipere meruerunt. Audiuit Nicodemus, audiuit Gamaliel, au-

Esa. 9.

Mat. 21.

Ioā. 16.

Act. 4.

Exo. 18.